tandem aliquando pacem Ecclesiae suae, et nobis ejusdem
amatoribus salutem. Amen. Exhilaravit me et meos
adscripta tuis literis precatio, quam utinam pater
noster coelestis largiter in sinum vestrum refundat.
Multum et sumptuum et molestiarum mihi ademit vestri
senatus nobiliss. locuples de me et pueris testimoni-
um pro quo quam possum maximas gratias ago. Vale
vir ipsa humanitate humanior: 12. Februarij 1560.

Conrectori Bremensi Strokrantio
Pax Christi.

188.)

[=Mscr. a. 7: Nr. 49]

Vir candidissime duae me res in amicissimis tuis li-
teris praeter caeteras mirifice delectarunt, illa qui-
dem, quod tam cordate, tamque (ut ita dicam) illicibili-
ter provocas ad stabiliendam inter nos amicitiam
quae nuper extitit magis ex animorum quodam arcano
consensu: quam ex paucorum dierum nimis temporaria
familiaritate. Haec vero quod tam pie, tamque viriliter,
(ut aliquo sensu mearum miseriarum tactus) hortaris,
ne tam dejecto sim animo, sed potius ut dulcissimarum pro-
missionum cogitatione me sustentans tristitiam
et metus tradam protervis in mare Gelicum portare
ventis. Hoc verbum tam oportune abs te profectū
singulari quadam consolatione meum cor excitavit.
Usque adeo nulla est afflicti animi praesentior medi-
cina, quam tempestiva oratio sincere diligentis.
Tuam ergo illam provocationem nisi ambabus ul-
nis amplecterer, non ingratus modo sim, sed inhumanus
etiam et ferus. Consolatio autem ipsa quae tam in tempore
adhibita non dubiam perfecte amantis animi signifi-
cationem secum attulit, praeterquam quod me reddi-
dit alacrem ad quidvis perferendum, manebit etiā
impressa meo quamlibet angusto pectori, tanquam quod-

dam perpetuum in nos amoris sigillum. Caeterum sicut
extiva tam plena officii et benevolentia epistola magnus
meo in te amori cumulus accessit, ita mea litera ni-
hil aliud volunt, nisi ut intelligas, me quum istam al-
tricem animi in me tui pietatem vehementer reda-
mare, tum etiam hunc amoris nostri fructum ar-
bitrari maximum, si pergamus uterque alterum ultro
citroque discurrentibus literis cohortari, et uterque al-
terius labores vocationis ad patris gloriam Filio Me-
diatori nostro quotidianis suspiriis commendare.
Vale. 4 Martij 1560.

D. Doctori Alberto Hardenbergio. 189, [= Ascr. n. 7 = No. 50]

Binas ad te antehac literas hinc dedi, Doctor clarissime,
utrasque eodem argumento alteras Emdano cuidam amico
alteras Westfaliensi; illas ante brumam, has pridie Regum
neque in his autem, neque in illis quicquam fuit magni momenti,
quo magis miror non pervenisse. Novas istic turbas ex-
citari graviter angor, nihilque metuo magis, quam ut tandem
haec tam atrox tragoedia funestum aliquem exitum sortia-
tur, praecipue vero me contristat tua anxietas, quem
scio his annis 5 vel 6. nullum tranquillum diem habuis-
se. At rursus me reficit tuus ille heroicus spiritus, qui magnae
mentis instar, bona nixus conscientia ignorantium hominum
strepitu non solet magnopere commoveri. Confessionem
etiam nostram (quae satis perspicuis verbis et corpo-
ris veritatem Christo tribuit et artolatriam cum ali-
is superstitionibus aperte resecat a S. Coena) mira-
rer non satisfacere quibusdam fratribus nisi compertum
haberem eosdem et in tua super hac re doctrina
semper aliquid desiderasse. Tam autem ita dilacerata
est perpetuis contentionibus haec materia, ut nemo
quidquam, nisi quod ipse dixerit recte dictum putet, nec
fuit mihi in mea consternatione ullo modo durior quam
illa etiam inter ὀρθοδόξους varietas et dissimilitudo
linguarum. Postremo sic mihi in hac parte doctrinae